Quelle: http://manuscripta.at/?ID=35453
Copyright: Neustift/Novacella, Augustiner-Chorherrenstift

A simili / quando aliquis nobilis
ducit aliquam filiam rustici in uxorem
Ille se gerit nobiliter Et si queritur
qua causa hoc faciat / ille dicit quod
oportet fieri / quia ille nobilis duxit
filiam meam Sic et nos / ex quo tam
nobilis filius dei univit sibi
naturam nostram / sic agamus nos no-
biliter / quando aliquis de nobili
genere est et gerit se male / dicitur
quod male convenit ei eo quod de tam
bonis parentibus natus est Sic
male convenit quod homines peccant
qui de tam nobili genere sunt
Ad hoc enim deus homo factus
est ut humanam naturam exal-
taret ¶ 2o fecit deus mirabi-
lia in matre / magnum et inauditum
mirabile fuit quod virgo filium
genuit et quod eundem sine do-
lore peperit / quod filia patrem ge-
nuit et quod deum et hominem genuit
hoc prefiguratum fuit per virgam
Aaron que sine humano studio flor-
uit et fructum protulit / Vere
deus magna mirabilia fecit
in matre sua / Unde hodie fecit
deus mirabilia talia que nec facta
sunt nec amplius facienda sunt
Hodie juncta sunt deus et homo
mater et virgo / Legitur quod cum Ieremias
in Egyptum descendat post
mortem Godolie regis egypti /

signum dedit quod ydola eorum corru-
erent / cum virgo pareret / quod omnibus
impossibile videbatur / quod tamen factum est
in ipsa nocte quando virgo Christum ge-
nuit / Ecce quam magna mirabilia
fecit deus in matre sua ¶ 3o fecit
deus mirabilia in mundo / legitur
quod in aere visa fuit virgo pulcher-
rima habens puerum in gremio que
ostensa est Octaviano imperatori
quem senatores propter sapientiam et pul-
chritudinem suam voluerunt adorare
propter quod precepit imperator ne quis
eum amplius dominum appellaret / et edi-
ficavit altare in nomine pueri illius
Ecce quanta mirabilia fecit deus
In se ipso In matre sua et in mundo /

Ecce nova
facio omnia / Apocalypsis legitur
in Apocalypsi quod beatus Johannes
ewangelista raptus est et vidit presen-
tia preterita et futura / et audivit
vocem spiritualiter dicentem Absterget
deus omnem lacrimam etc. Et post hec
audivit et vidit quendam seden-
tem in throno et dicentem Ecce
nova facio omnia / Verba ista que
scribit beatus Johannes completa sunt ho-
die Fratres mei hodie multa no-
va fecit / primum novum quod fecit deus
hoc est quod homo factus est deus et
homo permansit / Ut in precedenti sermone